

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1774

Auteur(s) : Geoffroy le Breton, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Eu, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1119

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Fondation de l'abbaye Notre-Dame d'Eu. Geoffroy, archevêque de Rouen, à la demande du doyen Robert et des chanoines qui vivaient séculièrement sous la protection du comte d'Eu, leur accorde de vivre en commun selon une règle et décide que le produit des anciennes prébendes sera dorénavant possédé en commun par les chanoines réguliers. Henri, comte d'Eu, a approuvé ces dispositions.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Rotomagensis, n° XVII, col. 21-22.

Texte établi d'après a

Ego Goisfridus Rotomagensis archiepiscopus petitioni Roberti decani, sociorumque ejus canonicorum, claustro et communi habitatione simul vivere desiderantium, ipsius sub manu comitis Augi seculariter viventium, assensum præbens, concedo : ut redditus præbendarum ipsorum, qui ipsas divisim juxta numerum personarum possidebant, a modo quia communiter vivunt, communes in perpetuum habeantur. Quod si quis reliquorum canonicorum ad eorum conversationem transire voluerit, redditus ejus supradicto modo fiat communis. Post mortem vero ceterorum, vel vitæ mutationem, redditus eorum ad istorum victum et communitatem transeant. Omnes autem redditus præbendarum, et ea quæ ad thesaurum ecclesiæ pertinent, ipsis regularibus et eorum ecclesiæ ita libere et quiete ab omni consuetudine concedo, sicut ecclesia Augensis liberius et quietius visa est possedisse. Liceat etiam eis, more aliorum claustralium, quot fratres voluerint in suo loco ad id servitium conjungere ; et suorum abbatum liberam electionem facere : nec ulli abbatum liceat bonos usus ecclesiæ, qui secundum veram religionem in eadem instituti sunt, ullo modo infringere. Quod si quis canonicorum secularium de rebus ecclesiæ pertinentibus, sine meo jussu et comitum Augi, et consensu totius capituli, quoquo modo a præbendæ dominio alienaverit, primo quod præbendæ ad communitatem regularium pervenerint, omnis eorum donatio, vel venditio in irritum revocetur. Ipse vero decanus Robertus S. Mariæ Augi, et socii sui, præbendas quas a laïca manu acceperant, in manu mea reddiderunt, et sic victuros canonice promiserunt ; ea quæ prius propria possederant, ipsis ut communiter viverent habere permisi ; et eidem Roberto et successoribus suis dignitatem et potestatem ecclesiæ concessi. Hanc præscriptam institutionem regularium canonicorum Augensis ecclesiæ, Dei et nostræ metropolitanæ sedis auctoritate confirmo ; et sacram religionem, et canonicum ordinem in ecclesia Augensi inviolabiliter præcipio permanere ; et ne quis huic rei vel contradicere, vel aliquod impedimentum aliquando inferre præsumat, sub anathemate prohibeo. Anno Domini 1119, Ludovico regnante in Gallia, Henrico rege Anglorum principante in

Normannia, in capitulo S. Mariæ Rotomagensis, præsentibus Audino Ebroicensi episcopo, Ranulfo Dunelmensi episcopo, W. abbate S. Audoëni, Rogero secretario, Richardo archidiacono, Osmundo archidiacono, et multis canoniciis aliis S. Mariæ.

Ipse vero Henricus Augensis comes omnibus prædictis testibus et præsentibus, superius in sua charta citatis, iterum hanc hujusmodi fundationem iisdem verbis a se conceptam et expressam approbavit, laudavit, ratamque habuit ; necnon omnia ejusdem ecclesiæ bona tum ab antecessoribus suis, tum a se et ab aliis data, confirmavit : cuius filius Johannes, et ipse Aucensis comes, pie postea comprobavit.